



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

29. Desiderantibus Monasteriis &c. Decretum pro Unione Monasteriorum  
Ordinis S. Benedicti in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuanianæ  
eonsistentium, eorumque erectione in Congregationem titulo S. ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

1703.

ficacia, con cui per ordine della Santità Sua se le ne ingiunge l'effecuzione, E auguro à V. S. dal Signor Iddio ogni maggiore felicità, Roma 4. Genaro 1721.

G. D. Card. Parraciani Prefetto.

V. Arcio. di Damasco Secretario.

## D E C R E T U M.

Quo PP. Cappuccinis Sardiniae facultatem conferendi Scapulare, seu habitum parvum cum cingulo S. Francisci Secularibus utriusque sexus, Tertiariis nuncupatis, competere declaratur.

XIII.

**I**N Causa vertente inter Patres Cappucinos Regni Sardiniae ex una, & Patres Minores de Observantia ejusdem Regni, seu &c. partibus ex altera, de, & super infra scripto Dubio: nempe, an Patribus Cappuccinis Regni Sardiniae liceat dispensare, seu distribuere habitum, seu Scapulare parvum cum cingulo Sancti Francisci Secularibus utriusque sexus in propriis Domibus, & sub Jurisdictione Ordinarii viventibus, qui denominantur Tertiarii, seu Tertii Ordinis, eosque dirigere in spiritualibus juxta Regulas dicti Tertii Ordinis in propriis Ecclesiis in casu &c.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, Partibus ipsis auditis, referente Eminentissimo Gabriellio, censuit, ac declaravit competere PP. Cappuccinis facultatem conferendi Scapulare, seu habitum parvum cum cingulo Sancti Francisci. Roma 16. Novembris 1703.

Et die 29. Februarii 1704. denovo auditis Religionibus Patrum Minorum de Observantia, & PP. Minorum Cappuccinorum S. Francisci, referente eodem Eminentissimo Gabriellio Eminentissimi Patres censuerunt, persistendum esse in decisio sub praedicta die 16. Novembris 1703. Roma &c.

Die vero 6. Martii ejusdem Anni 1704. tertia vice proposita Causa per eundem Eminentiss. Gabriellium, ad preces Procuratoris, Generalis, Commissarii Curiae Minorum de Observantia, & Procuratoris Generalis Strictioris Observantiae S. Francisci, eadem Sacra Congregatio censuit, ac decrevit extradendum supra dictum Decretum. Roma &c.

G. Card. Carpinus Praefectus.

N. Grimaldus Secr.

## D E C R E T U M.

XIV.

Sanctissimi, quo Sacrae Congregationi Episcoporum, & Regularium facultas adimitur indulgenti Fratibus Cappucinis Ordinis S. Francisci, ut personarum secularium confessiones audire possint, nisi id eidem Sacrae Congregationi in casibus particularibus à Summo Pontifice pro tempore existente specialiter permitatur.

Ex Audientia Sanctissimi die 8.  
Augusti 1704.

**S**anctissimus Dominus Noster iussis, & rationalibus causis animi suum moventibus praesentis Decreti vigore Sacrae Congregationi Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita adimit facultatem, & autoritatem Indulta concedendi Fratibus Cappuccinis Ordinis Sancti Francisci audienti Personarum Secularium Confessiones, nisi de speciali Sanctitatis Suae, vel Successorum suorum mandato, quo praesenti prohibitioni expressè derogetur, id benignè indulgeatur, vel indulgeri mandetur; ac propterea eadem Sacra Congregatio à similibus Indultorum, & facultatum concessione cessare, & abstinere debeat in futurum, falvis tamen ipsorum Fratrum Cappuccinorum Constitutionibus, quas Sanctitas Sua servari mandavit.

Ita est V. Archiepiscopus Damascenus  
Sac. Congreg. Secretarius.

## D E C R E T U M.

Pro Unione Monasteriorum Ordinis S. Benedicti in Regno Poloniae, & Magno Ducatu Lithuaniae consistentium, eorumque erectione in Congregationem titulo S. Crucis Poloniam nuncupandam,

XV.

**D**esiderantibus Monasteriis, & Monachis Ordinis Sancti Benedicti Regni Poloniae pro restauratione collapsae Disciplinae Regularis, conservatione, atque augmento Observantiae proprii Instituti, & boni Religionis, tam in spiritualibus, quam temporalibus in Congregationem, & unitatem reduci sub uno primario Capite gubernandam, inhærendo Sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Tridentini dispositioni, exemplo Congregationis Benedictino-Bavaricæ, aliarumque plurimum ejusdem Ordinis, recursum habuerunt circa annum 1687. ad Sanctam Sedem, assumptaque fuit desuper discussio in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium coram nonnullis ejusdem S. R. E. Cardinalibus, specialiter deputatis, quae deinde intermissa hucusque remansit. Nuper autem in Visitatione generali dictorum Monasteriorum facta Autoritate Apostolica ex commissione Nuncij Apostolici per Abbatem Monasterij Sanctae Crucis in Calvo Monte P. Stanislaum Mirechi, unanimi omnium Monasteriorum, & Conventuum consensu, pari restaurandae, & conservandae Disciplinae regularis zelo, decretum extitit, ut instantia jam pridem apud Sanctam Sedem introducta pro reductione ipsorum Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti Poloniae, & Lithuaniae in unam Congregationem, ut supra, omnino prosequatur, & ad optatum finem perducatur, datis ad eundem effectum opportunis facultatibus Abbati praedicto S. Crucis, qui proinde Romam se contulit, & ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, suo, suorumque Monasteriorum, & Monachorum nomine obsequenter supplicat, quatenus S. V. dignetur deputare particularem Congregationem aliorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Sacrae Congregationis Episcoporum, & Regularium in locum alias deputatorum, & defunctorum, qui super praemissis discussionem reassumant, & ultimam manum imponant, ad hoc, ut sub umbrâ Paternae Charitatis Sanctitatis Vestrae, ejusque Pastoralis Clementiae protegente, Monasteriorum, & Monachorum Orationum pia desideria adimpleantur, eorumque reductio in unitatem, & Congregationem à Sacris Canonibus, & Sacro Concilio Tridentino inculcata, & uniformis regulari Instituto, necnon ad restaurationem Re-

Tenor supplicis libelli Pontifici oblati pro parte Monachorum Ordinis S. Benedicti Poloniae.

1709.

1709.

ligioſæ Obſervantiæ, atque utilitatem Monaſteriorum directa optatum effectum feliciter confequantur. Ut Deus &c.

Super huiusmodi Precibus ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium remiſſis placuit deinde Sanctiſſimo Domino Noſtro particularem Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium deputare, videlicet Carpinei, Abduæ, S. Clementis, Gabriellii, Sacripantis, Sanctacrucij, Paulutij, & Fabroni, exhibitisque conſenſibus omnium Monachorum degentium in infraſcriptis Monaſteriis juxta Ordinem Fundationis nominatis, videlicet.

Monaſterium Sanctæ Crucis Calvomontanum.

Monaſterium B. virginis Aſſumptæ Siccoviſe.

Monaſterium Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Tynecenſe.

Monaſterium S. Adalberti Episcopii, & Martyris Plocenſe.

Monaſterium S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ Mogilnicenſe.

Monaſterium S. Mariæ Lubinenſe.

Monaſterium ad S. Mariam Trocenſe.

Monaſterium ad S. Annam Horodeſenſe.

Monaſterium ad S. Crucem Heſuſenſe cum quibuſvis eorum membris, pertinentiis, dependentiis, annexis, & connexis.

Congregatio particularis Eminentiffimorum S. R. E. Cardinalium à Sanctiſſimo Domino Noſtro ſpecialiter deputata, audito P. Staniflao Mirecki Abbate Monaſterij Sanctæ Crucis Calvomontani, Procuratore ſpecialiter conſtituto à Monachis in prædictis Monaſteriis degentibus, negotio maturè diſcuſſo, cenſuit per Literas Apoſtolicas in formâ Brevis ad ejuſdem Staniflai ſupplicationem, ac etiam motu proprio expediendam unionem, & erectionem in Congregationem ſub Titulo S. Crucis Polonam nuncupandam, Monaſteriorum huiusmodi in Regno Poloniæ, & magno Ducatu Lithuanie reſpectivè exiſtentium, aliorumque Monaſteriorum dicti Ordinis ipſi Congregationi, ut infra dicitur, aggregandorum concedi poſſe, cum illorum exemptione ab Ordinariorum Jurisdictione ad formam Congregationis Bavaricæ, & cum eiſdem Privilegiis, ſine præjudicio in reliquis omnium intereſſe habentium, & habere quomodolibet prætendentium; ſalvis tamen Ordinariis locorum quoad omnia Monaſteria Juribus eiſdem vigore ſacri Concilij Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum competentibus, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis, necnon cum facultate aggregandi prædictæ Congregationi de novo erigendæ alia quæcunque Monaſteria dicti Ordinis in Regno, & Magno Ducatu prædictis conſentientia, quæ ipſi Congregationi aggregari voverint, ſive quorum Abbates, & Conventus Congregationi huiusmodi conſenſerint (exceptis tamen, ſi quæ ſint in dictis Regno, & Magno Ducatu conſtituta, Monaſteriis alteri cuicumque Congregationi canonicè aggregatis) necnon Conſtitutiones pro bono regimine, & gubernio Congregationis huiusmodi in primo illius Capitulo Generali efformandi, ita tamen, ut nullam validitatem, aut robur aſſequantur, niſi poſtquam à S. Sede fuerint expreſſè confirmatæ. Executionem verò committi poſſe Nuncio Apoſtolicæ Poloniæ juxta Inſtructionem eidem tranſmittendam. Romæ die 2. Maji 1709.

G. Card. Carpineus Præfectus.

F. Archiepiſcopus Nicenus Secret.

Subjicitur Breve Apoſtolicum ſuper erectione prædictorum Monaſteriorum Ordinis S. Benedicti in novam Congregationem ſub invocatione Sanctæ Crucis Polonam nuncupandam, quòd cum ſeriùs ad Collectoris manus delatum fuerit, ſuo loco poni, ac inter cæteras Clementis XI. Conſtitutiones in prima Operis Parte inferi non potuit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis cœlitus Apoſtolicæ ſollicitudinis munere, in id præcipuè ſollicitis ſtudiis incumbimus, ut monaſtica, regulariſque diſciplina, ſicubi collapſa eſt, modis congruis reſtitui, ubi vero Domino benedicente viget, firmius ſolidari valeat, eoque tendentia Religioſorum Virorum, Altiffimi obſequiis ſub ſuavi vitæ monaſticæ jugo mancipatorum vota libenter exaudimus, ac alias Paſtoralis Officij Noſtri partes opportunitis rationibus, interdum etiam per novarum Congregationum inſtitutiones paternâ deſuper charitate interponimus, ſicut omnibus maturè conſideratis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Eccleſiæ Catholicæ decus, & præſidium, ad monaſticæ, regulariſque diſciplinæ incrementum, & felicem progreſſum, ſpiritualemque Chriſti-fidelium ædificationem, & animarum ſalutem, expedire in Domino arbitramur. Cum itaque (ſicut accepimus) Dilectis Filiis Monachis infraſcriptorum Monaſteriorum Ordinis Sancti Benedicti in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuanie reſpectivè conſiſtentium, nempe S. Crucis Calvomontani, Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis Siccuchoviſis, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Tynecenſis, Sancti Adalberti Episcopii, & Martyris Plocenſis, Sancti Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ Mogilnicenſis, Sanctæ Mariæ Lubinenſis, ad Sanctam Mariam Trocenſis, ad Sanctam Annam Horodeſenſis, & ad Sanctam Crucem Neſviſenſis, pro regulari diſciplinæ collapsæ reſtauratione, ac proprii Inſtituti obſervantiæ, & illius augmento, necnon felici, proſperoque tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, prædictorum Monaſteriorum regimine, ipſa Monaſteria juxta Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini diſpoſitionem, in Congregationem ſub uno primario Capite gubernandam, ad inſtar Bavaricæ, aliarumque ſimilium Congregationum Monaſteriorum dicti Ordinis uniri, & inſtitui deſiderantibus, non ita pridem in Viſitatione generali dictorum Monaſteriorum, per Dilectum Filium Chriſtinum Staniflaum Mirecki Abbatem Calvomontani Monaſterij prædicti, de mandato Venerabilis Fratris Nicolai Archiepiſcopi Thebarum Noſtri, & Apoſtolicæ Sedis in Regno Poloniæ Nuncij facta, unanimi Monachorum eorundem Monaſteriorum conſenſu, parique reſtaurandæ, & conſervandæ dictæ regulariſ diſciplinæ zelo, decretum extiterit. ut inſtantia jamdudum ad hanc Apoſtolicam Sedem pro unionem, & inſtitutione huiusmodi obtinenda, delata, & deinde intermiſſa renovaretur. Ac propterea dicti Monachi eundem Chriſtinum Staniflaum ſuum ad id Procuratorem, cum opportunitis facultatibus ſpecialiter conſtituerint, ipſeque Chriſtinus Staniflaus ad hanc Almam Urbem ſecoutulerit, dictamque unionem, & inſtitutionem fieri magnopere exoptet; Hinc eſt, quod Nos, qui monaſticam, regularemque diſciplinam conſovere, atque promovere omni ſtudio contendimus, piis, & religioſis ipſius Chriſtini Staniflai, ac dictorum Monachorum deſideriis Apoſtolicæ charitatis benedicentes, eorūque ſingulares perſonas à quibuſvis excommuni-

XVI.